



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 9. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

minati essent Christum, & Sanctos ejus, Rex sceleratum genus calumniatorum multaret; sin è diverso indelebilis fama illa esset, Lutheri doctrinam è Diabolo emanasse, eandem abjurandi Rex indemnem faceret ipsi potestatem. Rex rem examinari jubet, & Montacutus Sacellanus Regis, Lutherum quamvis virum sanctum, eruditum, Anglicanæ Religionis Authorem non haberi pronunciat, vel hinc à quæstione superfedere possit, quæ inquirat, an fuerit edoctus à Diabolo? alij (ex Witakero ad rat. cump. pag. 155.) dicebant: Nos Lutherum libenter, ut Patrem veneramus, & Cantuariensis Episcopus dicebat etiam, quòd de Luthero magistro asserunt Papistæ, mendacium est; quæritur liber, producitur tom. cit. n. 642. & singula reperuntur, hærent, turbantur, quid possint respondere nesciunt, præter minas. Walsinganus tamen nolens peristere in Religione à Diabolo fundata, revelatæque, abjurat hæresim, & redit ad Ecclesiam Catholicam; si proinde reliqui etiam Lutherani oculos aperirent, dicere possent vale magistro suo, & reperere illa Augustini tract. 42. in Joan. Si, quod dicitis, à Diabolo accepisti, & Diabolo credidisti, mendax es.

644. Sic etiam Hieronymus in lib. contra Luciferianos sub finem: *Brevem tibi, apertamque animi mei proferam sententiam: in Ecclesia illa permanendum est, quæ ab Apostolis fundata usque adhuc durat, sicubi audieris qui dicuntur Christi, non à quocunque alio nuncupari, ut puta, Marcionistas, Valentiananos, Montanenses &c. Scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam; ex hoc enim ipso, quòd postea instituta sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænuñciavit; nec sibi blandiantur, si de Scripturarum Capitulis videtur sibi affirmare, quod dicunt, cum & Diabolo aliqua de Scripturis sit locutus, & Scriptura non in legendo, sed in intelligendo consistant.*

645. Exinde prodeunt tot errores, quos hæretici docent; quid stolidius, quàm negare nobis liberum arbitrium, ut more pecudum omnes feramur; hoc nihil aliud est, quàm in scelerum omnium voraginem homines immergere, efficeréque, ut nulli unquam Dæmonis suggestioni, vel malæ naturæ appetitui resistere conentur, cum persuasum habeant hæretico ex principio, ferreâ necessitate se ad consensum trahendos; huic affine est, præcepta Dei servari non posse; docent insuper, solam fidem ad salutem consequendam sufficere, quam, si quis tenet, quantiscunque se contaminer sceleribus, cælum tamen ingreditur; unde ajunt, bona opera ad beatitudinis æternæ adeptionem nihil conducere, imò obesse, & cæli viam præcludere.

646. Præterea optimus Orationem Dominicam recitandi modus est, ait Lutherus, ut variæ blasphemiarum, execrationes &c. articulis inferantur, ut securi sumus, habere nos, quod Deus dimittat, quod in fine perimus; fornicatio-

nam, imò & adulterium hic apostata approbat, & uxoris locò consortium aucillæ viro interdum permittit: incontinentiam homini in regre ætatis, & roboris, cenfer esse sine miraculo impossibilem; tandem hanc etiam habent blasphemiam, Deum non solum permittere, sed directè velle, & decernere peccata hominum quotidiana, imò occulta quadam vi, & suggestionem movere ad flagitium, & impellere Deum; proinde veram causam, & peccati authorem faciunt; hæc, & similia, qui legit, Mahometem revixisse haud dubie existimabit.

Quapropter ex hac secta non habetur sancta professio morum, præcipua Ecclesiæ notæ, quod falsus est etiam Lutherus Domin. 4. Advent. in Conc. *Mundus ex hac doctrina in dies deterior fit, quod Dæmonis opus est; videmus enim homines magis esse avaros &c. quam antea in Papatu.* in sermonibus germanis alijs hæc habet: *Post revelatum Evangelium virtus est occisa, justitia oppressa, temperantia ligata, veritas à canibus dilacerata, fides clausa, nequitia quotidiana &c.* Hinc Erasmus, etsi Lutheranis favorit nimis, multisque erroris dederit occasionem, sic tamen ad Vulturium Neocomum loquitur: *Profer mihi, quem istud Evangelium ex commessatore sobrium, ex ferocis mansuetum, ex avaro liberalem, ex maledico benedicum, ex impadico reddiderit verendum, & ego tibi multos ostendam, qui facti seipsis deteriores; ex quibus constat, hæreses contra legem naturæ pugnantibus esse falsas, nec tollere evidentiam credibilitatis Ecclesiæ Catholicæ; unde Ecclesia Catholica non modo absolute, sed etiam comparative considerata ad quancunque oppositam Religionem sola inter omnes ostenditur, & manet evidenter credibilis, & credenda, cum aliæ omnes sectæ nihil credibilitatis prudentis exhibere possint, utpotè tot fabulis, imò & peccatis apertis, & contra lumen rationis pellissimis quibusque abundant doctrinis.*

SECTIO IX.

Solvuntur Opposita.

Objic. 1. Inter signa credibilitatis, quæ ad fidem plurium Deorum excitant, Gentiles numerebantur etiam miracula; ac proinde poterat inferri, Religionem illam esse Authore Deo, uti nos inferimus inde Religionem Catholicam; sed illa signa credibilitatis non reddebant Gentilibus Religionem suam evidenter credibilem, ergo neque signa, quæ nos habemus, id etiam faciunt respectu Religionis Catholicæ. Probatum maj. Curtius Romanam à peste liberavit, se devovendò, & præcipitandò, & statim, ac præceptis ruit, seseque occidit, pestis cessavit, quod veram miraculi speciem præferebat. Plura similia faciunt etiam

etiam sagæ, quæ videntur esse mirabilia, uti ea, quæ accidunt in Religione Catholica. vide Daniel. Bart. Hist. Sinic. lib. 2. pag. 236. & lib. 3. pag. 621. & 705. 753. & 761. ergo &c.

649. Resp. neg. maj. ad probationem dist. ant. tam mirabilia considerandò circumstantias, quæ ad cognoscendum verum miraculum considerari debent, neg. averrendò considerationem, omitto ant. & neg. conseq. Ratio est, quia, ut constat à num. 532. & 535. & benè expendit August. lib. 10. de Civit. Dei cap. 13. nunquam desunt circumstantiæ, quæ discernant miracula vera à falsis; falsa enim miracula, quæ operà Dæmonum fieri solent, & sæpè tendunt, ut homines, non quidem uni Deo, sed Dæmonibus ipsi, tanquam Dijs cultum adhibeant, atque idola colant, vel aliqua alia contra manifestam naturæ legem exhibeant, quod, cum à Deo, utpotè Sanctissimo fieri non possit, satis apparet, ea non esse opera Dei, sed maleficia Diaboli; unde in casu Curtij, aliorumque similium aliquid hujusmodi intervenit, quo facile poterant homines agnoscere, illud non fuisse Dei opus, sed Diaboli, qui labem aliquam aëris maleficio procuratam substulit, ubi suum pravam finem obtinuit.

650. Sed audiamus Augustinum loco cit. ex hac regula generali agnoscendi vera miracula, sic differentem: *Illaque quippe miracula Deorum Gentilium, quæ commendat historia, non ea dico, quæ intervallò temporum occultis causis ipsius mundi, veruntamen sub divina providentia constituitis, monstrosa contingunt, quales sunt iniustitiam animalium partus, & calò, terraque rerum insolita facies, sive tantum terrens, sive etiam nocens, quæ procurari, atque mitigari Dæmoniacis ritibus fallacissimè eorum astutià perhibentur; sed ea dico, quæ vi, & potestate eorum fieri satis evidenter apparet, ut est, quod effugis Deorum penatium, quos de Troja Aeneas fugiens advexit, de loco in locum migravisse referuntur; quod cotem Tarquinius novacula secuit; quod Epidacius serpens Esculapio naviganti Romam adhaeserit; quod navim, qua simulacrum matris Phrygia vehebatur, tantis hominum, bonumque conatibus immobilem redditam una muliercula fune alligatam ob sue pudicitie testimonium movit, & traxit. Quod virgo Vestalis, de cujus corruptione questio vertebatur, aquam cribrò de Tybri, neque profluentem, abstulit; hæc ergo, atque alia hujusmodi nequaquam illis, quæ in populo Dei facta legimus, virtute, ac magnitudine conferenda sunt, quanto minus ea, quæ illorum quoque populorum, qui tales Deos coluerunt, legibus judicata sunt perhibenda, atque pleitenda, magica scilicet, vel theurgica, quorum pleraque specie tenuis mortalium sensus imaginaria ludificatione decipiunt; quale est lunam deponere, donec supposita, (ut ait Lucanus lib. 6.) propior desumer in herba; quedam vero, etsi nonnullis piorum factis videantur operari.* P. Gormaz Theolog. Tom. I.

ra coequari, finis ipse, quo discernuntur, incomparabiliter hæc nostra ostendit excellere. Illis enim multi tantò minus sacrificiis colendi, quanto magis hæc expetunt; his verò unus commendatur Deus, qui se nullis talibus indigere, & scripturarum suarum testificatione, & eorumdem postea remotione Sacrificiorum demonstrat; si qui ergo Angeli expetunt sibi Sacrificium, proponendi ei sunt, qui non sibi, sed Deo Creatori omnium serviunt; hinc enim ostendunt quam sincero amore nos diligunt, quando per Sacrificium non sibi, sed ei nos subdere volunt, cuius & ipsi contemplatione beati sunt; ad eum nos pervenire querunt, à quo ipsi non recesserunt; si autem Angeli, qui non uni, sed pluribus Sacrificia fieri volunt, non sibi, sed eis Diis volunt, quorum Deorum Angeli sunt, etiam sic eis proponendi sunt illi, qui unius Dei Deorum Angeli sunt, cui sacrificari sic jubent, ut alicui alteri veterent, cum eorum nullus huic veter, cui uni ipsi sacrificari sic jubent; porro, si quod magis indicat superba eorum fallacia, nec boni, nec bonorum Deorum Angeli sunt, sed Dæmones mali, qui non unum solum, ac summum Deum, sed se ipsos Sacrificiis, querunt; sed unius Dei contra eos eligendum est presidium, cui serviunt Angeli boni, qui non sibi, sed illi jubent, ut Sacrificio serviamus, cuius nos ipsi Sacrificium esse debemus.

Rursum eodem lib. 10. de Civit. Dei cap. 18. contra illos, qui miracula negant, sic arguit: *An dicet aliquis, ista falsa esse miracula, nec fuisse facta, sed mendaciter scripta? quisquis hoc dicit, si de his negat, nullis omnino literis esse credendum, potest etiam dicere, nec Deos ullos curare mortalia; non enim aliter se colendos esse persuaserunt, nisi mirabilibus operum effectibus, quorum & historia gentium testis, quarum Dy se ostentare mirabiles potius, quam utiles ostendere potuere; unde hoc opere nostro, cuius jam decimum librum habemus in manibus, non eos suscepimus refellendos, qui vel nullam esse vim divinam negant, vel humana non curare contendunt; sed eos, qui Deo conditori nostro sanctæ, & gloriosissime civitatis Deos suos præserrunt, nescientes, eum ipsum esse etiam mundi hujus visibilis, & mutabilis invisibilem, & incommutabilem conditorem, & vita beate, non de his, quæ condidit, sed de se ipso verissimum largitorem; quare, cum Augustinus alibi ita ait: Non ideo manifestari Ecclesiam, quia sunt in ea miracula; hæc solum docet contra Donatistas, qui miracula negabant, nec historias ulla admittebant, ut veras, in quibus de miraculis à Deo patris agebatur.*

At contra illos, qui miracula admittunt, sæpè docet, ex veritate miraculorum nullam aliam reddi videntur credibilem Religionem, quam Catholicam; unde contra Epistolam fundamenti cap. 4. & 5. disputans cum Manichæis, qui negabant Scripturam, ait, Ecclesiam demonstrari ex miraculis, non autem ex

scripturis, ut accuratè noravit Bellarm. lib. 4. de Notis Ecclesiæ cap. 14. ubi rectè advertit, opera Diaboli quoad speciem miraculosa facile discerni à veris miraculis, vel materiâ, quia per sensuum illusiones ea opera fiunt; vel formâ, quia intra naturæ vires continentur; vel fine, qui ad malum ducit, ita ut spectet ad providentiam Dei curare, ut inter vera, & ficta notabile intersit discrimen, ne animæ in Religionis summo negotio decipiantur; unde Ricardus à S. Viç. lib. 11. de SSS. Trinitate cap. 2. auder dicere: *Domine, si error est, quod credimus, à te decepti sumus, ista enim in nobis tuis signis, & prodigiis firmata sunt, quæ non nisi à te fieri potuerint; quare, quod Suetonius in vita Vespasiani refert, nimirum Vespasianum cæco lumen, & claudo gressum reddidisse, intelligendum est de cæco, & claudo ratione maleficij, quod postea à Dæmone sublatum fuit, juxta quod refert Corn. Tacit. lib. 4. Histor. sic etiam Socrates lib. 3. hist. cap. 13. quando narrat, Paulinum Episcopum Novatianum fecisse miraculum, notandum est, non illud fecisse in confirmationem sui falsi dogmatis, sed à Deo factum fuisse in confirmationem veri baptismi, ut ostendit Bellarm. lib. 4. de Notis Ecclesiæ cap. 14. §. ult.*

653. Objicies 2. Potest aliquis prudenter dubitare, utrum miracula, quæ narrantur, fuerint à Christianis conficta ad astruendam fidem suæ sectæ; ergo per miracula non potest ostendi evidenter credibilis Religio Catholica. Resp. neg. ant. nã omninò est incredibile, solos Christianos, & Catholicos omni tempore, & ubique gentium habuisse artem fingendi miracula, quæ ab omnibus, tum doctis, tum indoctis crederentur, & quod Sectatores aliarum sectarum tali arte caruissent: constat autem, nunquam, & nullibi hæreticos, Mahomethanos, Judæos, Gentiles habuisse artem patrandi miracula, ita ut ab omnibus credantur, eorumque secta miraculis persuadeatur; unde incredibile est, hæc miracula fingi à Christianis, solùmque possumus prudenter judicare, idèd à Christianis ea miracula credi, quia verè fiunt.

654. Etenim Judæi ante Christum per duo annorum millia potuerunt persuadere miracula facta in confirmationem suæ Religionis; post Christum verò ab annis quasi 1700. cum maxime vellent, non potuerunt; pariter nationes per hæresim separatæ à Catholicis ante separationem poterant suam Religionem suadere veris miraculis, quæ innumera sunt facta in regionibus eorum, ut Græcia, Anglia, &c. postquam verò desecere, non possunt; imò nec audent seriò scribere, ut fingant, facta esse, ne contingat eis, ut Luthero, & Calvino à num. 576.

655. Objicies 3. Omnes sectæ habent magnum numerum sectatorum, & afferunt pro se plura argumenta; ergo, cum nulla sit evidenter vera, apparet rationabile, ut Deus permittat unum-

quemque turâ conscientia liberè, ac licitè permanere in ea secta, in qua natus est; proindeque respectivè ad alias non erit evidenter credibilis, & credenda Religio Catholica. Confirm. uti nos probamus, Religionem Catholicam esse evidenter credibilem, & credendam, Mahomethani probant suam &c. ergo sicut non probat pro Mahomethanis, nec pro Religione Catholica. Probatur antecedens, vel Mahometismus propagatus est per miracula, vel sine ijs; si primum, credendum est, fuisse divinitus revelatum; si sine miraculo, hoc ipsum est magnum miraculum adhuc eum durare, & florere; sed idem erat argumentum pro Religione Catholica; ergo &c.

Resp. dist. ant. afferunt argumenta nullius ponderis, si conferant ad argumenta Religionis Catholicæ, conc. quæ pondus retineant, nego ant. & conseq. quia argumenta Religionis Catholicæ probant, eam esse à Deo, quod faciunt evidenter credibile, ut expendimus. Cum autem nemo possit licitè manere in sectis, etsi in talibus natus sit, quando sua fundamenta debilia omninò manent respectivè ad Catholicam Religionem, exinde inexcusabiles manent, suam sectam retinendò; sic licet non sit evidens, aliquas leges humanas fuisse legitime latas à Principe; si tamen sit evidens, prudenter credi posse, ac debere, eas leges fuisse legitime latas, evidens est, quòd subditi tenentur se subjicere talibus legibus, & si nolunt se subjicere hoc prætextu, quòd non sit evidens, tales leges legitime latas fuisse à Principe, sunt extremò supplicio digni, tamquam contumaces, ac rebelles. atque hoc principium in moralibus, & politicis est evidentissimum, & apud omnes gentes receptum.

Sic, licet evidens non sit, Religionem Catholicam fuisse divinitus revelatam; at, cum id ex miraculis, prophetijs &c. prudenter credi possit, ac debeat, Religionem, ac legem Christianam fuisse divinitus revelatam, evidens est, omnes obligati ad amplectendam Religionem Christianam, & si nolint eam amplecti illo prætextu, quòd non sit evidens, divinitus illam esse revelatam, esse æternò supplicio dignos, tamquam Deo rebelles; & quidem nulla datur lex humana, de qua ita sit evidens, prudenter eam credi debere, fuisse latam ab habente legitimam potestatem, sicut de Religione, & lege Christiana est evidens, prudenter credi posse, ac debere, fuisse eam latam à Domino totius mundi; quis enim potest prudenter dubitare, utrum lex, quæ diu, antequam promulgaretur, fuit promissa, & postquam est promulgata, est miraculis confirmata, fuerit lata à Deo, qui solus potest prædicare, ac disponere futura? & cum sit Dominus naturæ potest in legibus dispensare; quare, si excusaremur ab obligatione subjiciendi nos legi Christianæ, quilibet excusari possit ab obligatione omnium legum humanarum eo prætextu, quòd vel non sit evidens, authorem

ralium legum habuisse legitimam potestatem, vel quod tales leges sint ab eo.

658. Ad confirmationem neg. ant. ad primam conc. maj. & nego min. quia Mahomethismus extensus est sine miraculis, cum carni faveat, & appetitui brutorum; at Religio Catholica econtra se habet, quandoquidem spiritum, & non carnem sequitur, sed implacabile odium gerit contra depravatam naturam, & nihilominus propagata est per universum orbem, quod fieri non potuit absque ingenti miraculo; hoc argumentum autem neque Mahomethismo, neque ulli alteri sectæ favere potest.

659. Objicies 4. Ut probaretur, evidentem Religionem Catholicam Romanam esse prudenter credibilem, & credendam, deberet ostendi nullum dogma in ea tradi contrarium veritati tum cognitæ per lumen naturalem, tum divinitus revelatæ: sed hoc non ostenditur; ergo &c. Confirm. 1. Prudenter credi potest, sufficere ad salutem, ut conveniamus in præcipuis dogmatibus, spectantibus ad Trinitatem, Incarnationem &c. licet quoad alia discerpemus: sed quoad illa nobiscum hæretici recentiores conveniunt; ergo. Confirm. 2. Etiam simplicibus, & rudibus deberet esse evidens, solam Religionem Catholicam Romanam esse prudenter credendam; atqui non explicatur quo pacto illis esset evidens &c. ergo &c. Confirm. 3. Si probaretur, Religionem Catholicam evidentem esse prudenter credibilem, & credendam, probaretur, evidentem illam esse veram; sed hoc non probatur evidentem; ergo &c.

660. Respond. dist. maj. deberet ostendi per evidentiam credibilitatis, conc. per evidentiam rei, nego maj. & dist. pariter min. nego conseq. Ratio est, quia eo ipso, quod Religio Catholica sit evidenter credibilis, & credenda; jam manet evidenter credibile, & credendum, quidquid Religio Catholica credendum esse docet, in quo stat evidentia credibilitatis cujuscumque objecti ad Religionem pertinentis, sive naturale sit, sive supernaturale, cum non possit habere authorem Deum mentientem, & exinde non sit evidens nobis objectum, quod requirebatur ad evidentiam rei; unde evidentia talis non requiritur, ut Religio Catholica sit evidenter credibilis, & credenda; sic, ut subditi, præsertim simplices cognoscant, se esse evidenter obligatos ad obediendum Principibus, & debere quoque contemnere argumenta, quæ à rebellibus, vel alijs afferuntur contra legitimam potestatem suorum Principum, non requiritur, ut supra obligatione evidentia rei habeant; quare sufficit, quod argumenta ostendentia, evidens esse Religionem Catholicam debere credi tanquam à Deo traditam, pugnent contra rationes, quæ asserti possunt ad impugnanda ea, quæ contra Catholicam Religionem traduntur, ut eas non esse rationes, sed sciamus esse deceptiones; quia contra doctrinam Dei non est ratio, sed dece-

prio; unde erit mihi evidens, quod objectum illud est evidenter credibile, licet non sit evidens, quomodo sit tale objectum.

Ad primam confirmationem, nego maj. nam hoc ipso, quod ea argumenta probent, Religionem esse evidenter credibilem, & credendam, probant etiam, doctrinam ejus evidenter credibilem, & credendam, ut qui nolit aliquem articulum credere, sit sicut Ethnicus, & publicanus, juxta Christum Matth. 18. & juxta Apostolum ad Titum 3. dicente: *hereticam hominem devota*; unde non possunt in Ecclesia fingi articuli per se, & per accidens, ut aliqui hæretici docent, vel ut alij primarij, & secundarij; sed omnes sunt per se, & primarij, ut pote à Deo, non minori fide in minimis, ac in maximis digno, licet evidenter aliqui articuli credendi necessitatem medij (eò quod Deus in hac providentia voluerit, ut absque eorum fide, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, non habita nemo adultus salvetur) & aliqui necessarii solùm necessitate præcepti, eò quod si sint inculpabiliter non crediti, exinde non amittatur salus; at si simul sint sufficienter propositi, vel culpabiliter non propositi, nemo jam excusari potest; quandoquidem tenetur credere, quidquid credit Ecclesia, ita, ut per se ipsum non stet, si aliquid discredat.

Ad secundam Confirmationem conc. maj. neg. min. quia omnes fideles, etiam indocti per ea, quæ audiunt in instructionibus de miraculis, aliisque signis credibilitatis, satis evidenter cognoscunt obligationem credendi, neque est ullus fidelis, qui credat, quin firmissimam sibi hanc obligationem persuadeat; ita, ut paratus sit, omnia opposita contemnere, quàm Religionem, quam sentit à Deo traditam: nec in his fundamentis, quæ sunt motivum volendi credere firmissimè, & absque formidine potest persistere, quin omnia in oppositum contemnat; quæ omnia ostendunt, ipsum habere evidentiam credibilitatis nostræ fidei. Ad tertiam confirmationem, nego maj. quia ex eo, quod aliquod sit evidenter credibile, non inferitur, quod sit evidenter verum, ut constat ex num. 569. sed de his infra. Ex dictis.

Fit 1. in credente divina fide indispensabiliter requiritur evidens cognitio, Religionem nostram esse credibilem, & credendam prudenter. Ratio est, quia, ut credamus fide divinâ, quæ est fortissima super omnia, voluntas, quæ volumus credere, debet esse prudens, firmissima, & non fluctuans; sed ad voluntatem talem prærequiritur judicium evidens de credibilitate, & creditate, nec sufficit merè probabile; siquidem voluntas fundata in cognitione solùm probabili, & fluctuante, etiam ipsa est quodammodo fluctuans; ergo, ut aliquis velit fide divina credere, requiritur, ut evidenter, non solùm probabiliter judicet, Religionem nostram esse credendam; quare illi, qui non evidenter, sed solùm probabiliter cognoscunt, Religionem nostram esse evidenter

credibilem, & credendam, possunt quidem credere aliqua de fide humana, sed non de fide divina super omnia; unde illi, qui solum probabiliter existimant, aliquid esse de fide, non possunt illud credere super omnia; præterea sola cognitio fidei potest esse certa, & evidens; cognitio autem, qua iudicamus, Religionem Catholicam esse credendam, non est actus fidei, sed præcedit actum fidei, & ipsam voluntatem credendi; unde non potest esse certa, nisi sit evidens. Vide num. 591.

665. Fit 2. Cognitionem proximè dirigentem ad elicendam piam affectionem, sive imperium efficax actus fidei, & per quam cognitionem cognoscimus evidenter, nos posse, & debere credere, esse reverà supernaturalem; ratio est, quia cognitio per se ordinata ad fidem, & salutem fieri non potest sine auxilio, & illustratione Spiritus Sancti, atque adeo est supernaturalis; atqui cognitio, qua cognoscimus evidenter, Religionem Catholicam esse prudenter credibilem &c. qua quidem dirigimur ad elicendam piam affectionem, est per se ordinata ad fidem, & salutem; ergo. vide à num. 305. de gratia; quapropter illæ conclusiones naturales, quas elicimus ex signis credibilitatis, non conducunt per se ad vitam æternam, eò quòd sint naturales, quamvis tunc faciat homo, quod est ex se, ut Deus gratiam suam auxiliantem infundat; siquidem facienti, quod est ex se, eam non denegat, ut num. 91. de gratia; quare illæ naturales cognitiones de evidentia credibilitatis, & credentitatis se habent per modum removens prohibens, cum conducant ad hoc, ut homo non fluctuet, quæque fluctuatio prohiberet actum fidei. Sic naturalis omissio peccati, licet per se non ducat ad vitam æternam,

ut patet in natura pura, quæ neque peccatum haberet, nec ullum jus ad vitam æternam; at illa naturalis carencia peccati conducit ad removendum prohibens, scilicet peccatum, quod, si daretur, impediret vitam æternam.

Fit 3. Cum Suarez disp. 4. de fide sect. 6. Card. de Lugo disp. 5. sect. 3. contra Cajetanum: actum, quo cognoscimus, Religionem nostram esse evidenter credibilem, atque credendam, non procedere ab habitu supernaturali fidei, sed vel ab omnipotentia extrinsece applicata, vel ab alio habitu supernaturali annexo fidei; ratio est, quia per habitum fidei theologicæ non possumus ulli objecto assentiri, nisi propter summam veritatem Dei revelantis eo pacto, quo per habitum charitatis non possumus quidquam velle, nisi propter summam Dei bonitatem; sed cognitio evidens, qua iudicamus, nostram Religionem esse prudenter credibilem, & credendam, non habet pro objecto formali summam veritatem Dei revelantis, alioquin cum revelatio sit obscura, etiam cognitio illa esset obscura, & non evidens; ergo &c.

Quare cum D. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 4. ad 3. dicit, quòd *lumen fidei facit videre ea, quæ creduntur.* & art. 1. ad 1. *medio lumine fidei videri objecta nostræ Religionis esse credenda,* idè hoc docet, quia, quæ videntur per lumen, & habitum annexum fidei, possunt dici, quòd videantur per lumen fidei, eo pacto, quo, quia Aristoteles 6. Ethicor. cap. 9. ponit 3. habitus annexos prudentiæ, actus bene consulandi, qui procedunt ab habitu consultativo annexo prudentiæ, dicuntur procedere ab ipsa prudentia. Vide Maurum quæst. 127. num. 48.

DISPUTATIO XIV.

UTRUM MOTIVUM VOLENDI CREDERE FUNDETUR, TANQUAM IN ULTIMO RESOLUTIVO IN MOTIVIS CREDIBILITATIS, ET CREDENTITATIS?

668. Hanc instituo disputationem, ut facilius accedamus ad fidei resolutivum, & firmissimum ejus assensum, quantumvis Religio Catholica evidens nobis non sit; quare, sicut in nobis duplex distinguitur rationalis potentia, altera intellectiva, altera volitiva; ita etiam dignoscuntur motiva allicientia ad actum voluntatis, & impellentia ad actum intellectus; quare, cum actus fidei sit intellectus, & actus illum imperandi sit voluntatis, opus est quærere, quænam sint motiva volendi credere contradistincta à motivo credendi. Plures hic quærunt ea, quæ pertinent ad rectum, & obliquum talis motivi, quos inter Elparza tota ferè quæst. 14. at hæc missa facio; quia, quod ad rem nostram est, maxime est, quod docent Theologi cum Augustino, scilicet actum fidei esse nobis liberum; & ut verbis Augustini u-

tar tract. 26. in Joan. *Intrare quisquam Ecclesiam potest, nolens accedere ad altare; potest, nolens accipere Sacramentum; sed credere non potest, nisi volens.* Similia etiam habet cap. 2. de prædest. 55. & lib. de Spiritu, & litt. cap. 23. & lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. cumque voluntas libera, ut sit virtuosa; ex prudentissimo motivo debeat procedere, quærimus in præsentia, quodnam sit prudens istud motivum volendi credere? ne autem in terminis implicemur, evidentia credibilitatis dicitur dictamen evidens de eo, quòd hic, & nunc possumus prudenter credere; evidentia verò credentitatis dicitur dictamen evidens de eo, quòd hic, & nunc credere teneamur, atque adeo sit nobis evidens obligatio credendi, ut notavi à num. 587.

* * *

SECTIO